
Hálfdan Einarsson
og
Jón Jónsson
Þakkarkvæði
Kh. 1783.




OCCASIONE
SUMME ET ADMODUM VENERABILIS
SACRI MINISTERII
DIOECESEOS CHRISTIANSANDENSIS
IN PAUPERRIMOS VERBI DIVINI
QVI
IN ISLANDIA
MISERE VITAM TRANSIGUNT MINISTROS
MUNIFICENTIÆ,
COLLECTA NUMMARIA ALIQVOT VICIBUS
TRANSMISSA,
BENIGNISSIME DECLARATÆ,
SUMMAM ANIMI GRATITUDINEM,
NOMINE CLERI
INPRIMIS
DIOECESEOS HOLENSIS,
QVA PAR EST DEVOTIONE
TESTATUR
HALFDANUS EINARIS.

HAVNIÆ 1783.
TYPIS AUGUSTI FRIDERICI STEINII.



Res qvam ſacra miſer! Miſeris qvi ſponſor & obſes.
    Islando Clero providet ecce Deus!
Providet: Ille ſuis affert inopina miniſtris
    Subſidia, & lacrymis dat ſtatuitqve modum,
Ipſius rimare vias! veſtigia cernes
    Auroræ lacrymis illico ſparſa novis,
Ignivomos cum per montes & inhoſpita ſaxa
    Et ſteriles campos qvando benignus obit.
Hac curſus fuit: huc oculos convertit, opemqve
    Clementi dextra munificaqve tulit




Proſpiciens Pater Omnipotens de vertice cœli,
Ordinis & ſacri triſtia fata notans-
Audiit ipſe etenim Suſpiria mille ſuorum
Audiit & gemitus, ſorte premente, pios.
Viderat oppreſſos, ſacro ſudore madentes
Ad falces actos, retia, raſtra, trahas.
Viderat impedimenta, qvibus ſe rite domandis
Opponit ſolers mens, animata Deo.
Viderat hæc! venit & vincit tot plauſtra malorum
Aſſvetus medicas applicuiſſe manus.
Succiſos reficit nervos, lapſantia fulcit
Genua ſimul tremulas firmat & ipſe manus.
Erigit hic animo fractos, aſperrima vitæ
Mulcet, & eximia mitigat arte malum.
Arte ſed occulta nobis: qvis enim moderator
Illius arcani conſiliive comes?
Regum qvippe animos, qva collibet, inſtar aqvarum
Flectit & in gyrum, qvem meditatur, agit.
Abſtruſas rerumqve vices, arcanaqve pandit
Munia naturæ, & luxuriantis opes:
Hic facit ut duret rerum concordia diſcors,
Et varias varia res ratione jugat:
Et monſtrat qvantum mortalia curet ametqve,
Et ſibi qvam charus ſit ſacer ille chorus;
Sit ſacer ille chorus, qvem nunc Islandia nutrit;
(Sed nutrit modicum pauperieqve premit.)
Huic Pater Omnipotens miſero atqve extrema ferenti
Auxiliatricem porrigit ecce manum,

Et

Et ſimul ipſe ſuo complevit Numine Thulen (*a*)
    Hinc *Crymogæa* tuæ prolis origo fuit.
Hoc accenſa ſuper divo *Stavangria* zelo
    Se ſociasqve tribus officioſa ciet.
Nec mora Præſul idem TIDEMANNUS, temporis apti
    Cuſtos (*b*), cum reliqvis fratribus urſit opus.
Hinc pia *Chriſtianſandenſis* ſua munera Cleri
    Clero noſtrati mittere juſſit amor.
Non ſemel aut iterum vicibus ſed pluribus iſtæ
    Transmiſſæ nobis ſunt pietatis opes.
Aſt TIDEMANNUS obit: juſtiſſima cauſa dolendi
    Presſerat Islandos, qvos adamaſſe liqvet:
Sed nec obiſſe putes reliqvos, qvibus enthea qvondam
    Inflarat virtus conſuluiſſe probis:
Vivunt & vivent reliqvi, qvibus inclyta virtus
    Indidit, ut nobis tot bona ſponte darent.
Hinc non vana putes divinæ oracula ſvadæ:
    (Stant promiſſa Dei non titubante gradu.)
Proſpicit ille ſuis, nec erit, qvæ cuncta gubernat,
    Laſſa manus, miſeris qvæ fuit alma prius.
Nec Sopor altus eum retinet (qvi paſtor haberi
    Abramidum prolis vult) nec inepta qvies:

a) Thulen potius eſſe Norvegiam qvam Islandiam variis adſtruit argumentis celeberr. G. Schönning in ſua Introd. ad Hiſt. Norveg.

(*b*) Fit hic alluſio ad Significatum vocis *Tidemann*, qvo cognomine gaudens b. Epiſcopus affličtiſſimo Islandiæ & Verbi Dei miniſtroum ſtatui rara prorſus munificentia temporius ſubvenit.




Adverſis diriſqve vetat ſuccumbere rebus,
Atqve manu forti protegit usqve ſuos:
"Arva ſibi ſelecta rigat Deus imbre benigno,,
Ut matureſcant fructibus aucta novis.
Corda ſibi dilecta regit Deus, ipſa ſeqvaci
Ut tendant niſu, qvam docet ipſe, viam.
Fac occaſurus ſalſis ſe merſerit undis,
Luce tamen, Titan, ſplendidiore redit.
Nubila poſt Phœbus: TIDEMANNUM luximus omnes
Qvi nobis charus munificusqve cluet.
Sed mortem Illius res teſtatiſſima clamat
Mandaliæ largas non religaſſe manus."
Inconcuſſa etenim Norvegæ inſignia gentis,
Cana Fides, Bonitas, Mens generoſa, vigent.
Qvid nos non ſperare jubet Venerabile ſemper
Nomen HAGERUPII, Præſulis eximii!
Triſtes reddidit hic lætos: Hic nomen & omen
Exhilarantis (*c*) habet, munificiqve tulit.
Hunc, ut adhuc, ita poſt communiet Arbiter orbis,
Ut pro communi militet usqve bono.
Hunc agit & ſtimulat cœleſtis gratia, cleri
Ut triſtes docta mitiget arte vices.
Agnoſcunt gaudentqve boni, properantis adorant
Mellifluas nobis Numinis ergo vias.
Agnoſcunt laudantqve Islandi: Annalibus iſthæc
Curni commendent qvi leviora notant.

Qvin

(c) Alluditur ad nomen baptismale S. Ven. & Ampliſſ. Epiſcopi *Hilarius*.

Qvin celebrant feroqve canent memoranda nepoti
Qvæ raro exemplo gens generofa dedit.
Raro eqvidem exemplo: Cleri triftiffima fata
Islandi qvænam leniit ante tribus?
Qvæve Diœcefis folenni more? fed O! fi
Exemplum plures hoc imitentur, ament!
DANIA Te primum qvidni, fed fupplice vultu,
Compellem? in miferis, qvam benefacta juvant.
Gens augufta, potens opibus, pietate corufcans
Et glebæ felix ubere, chara Deo
Fac noftri miferere; Deus compenfat abunde
Qvæ nobis miferis natio larga dabis.
Atqve diœcefes reliqvæ, Norvegia qvas jam
Alma parens merito judicat effe fuas.
Inprimis Bergæ, vobis fi nonnihil olim
Acceffit lucri de regione mea.
Afflictis aliqvo auxilio fuccurrite! parvo
Contenti, magnas nos petimus nec opes;
Nec vobis qvicqvam præfcribimus: ultima nosmet
Sors urget qverulos ingeminare modos.
Abftulit atra greges contagio, pifcaturam
Interclufit hyems & glacialis obex,
Plurima qvi patriæ folito plus litora vexat (d)
Atqve diutino frigore adurit humum.

(d) Maxima fuit, poft hominum memoriam, præterlapfa hyeme glaciei Grönlandicæ copia, tamdiuqve perduravit, ut oras Islandiæ, inprimis borealis & orientalis ad mediam, & qvibus-dam



Hinc tristis rerum facies, hinc plurima strages
Et pecudum atqve boum tetrica fata trahens;
Hinc fluit annonæ nunc afflictissima nostræ
Conditio, multis qvæ via mortis erit.
O! qvos Sancta movet pietas, qvos lætior usqve
Aura beat, qvibus est lautior ergo domus,
Qviqve superflua congeritis, vel prodiga tentat
Qvos expensorum vis, rationis inops:
Huc oculos largasqve manus convertite, micam
Aut obolum Christo Discipulisqve date.
Ut frater fratri svadent communia jura
Consilio prosit suppetiasqve ferat.
Hoc vult ipse Deus, vult hoc Rex optimus, optat
Qvilibet hoc Civis de meliore loco.
Hoc Proceres pietasqve jubent, via sæpe salutis,
Non exspectatæ sponte reclusa fuit.
Scimus enim qvam diva solet succurrere mœstis
Gratia, & abstrusas scit reperire vias:
Scimus adhæc, qvod dura premat penuria, qvæ nos
Submittit plebi, ridiculosqve facit.
Sentimusqve probe gratæ præludia mentis
Affulget qvoties Spes meliorqve Status.
Non secus ac vento multum qvassata biremis
Læta videt portum, litora tuta petens.

Experti

dam in locis adultam æstatem maritimas compleverit, capturam avium & piscium interceperit, imo bruma jam appropinqvante Nonis Octobris 1782. naves aliqvot Danorum mercatorias, summo incolarum detrimento, portubus etiamnum excludat.

Experti loqvimur, verax qvoqve fama loqvetur,
    Qvæ Norvegorum præstitit alma manus;
Nos ea femineces ad vitam sæpe reduxit
    Et rebus nostris semper amica fuit.
Qvis Te, Magne *Thodal*, Norvego sangvine cretum
    Prætereat, qvi nos demeruisse soles.
Tutelare cluis Numen, Divumqve benignus
    Interpres nostrum præsidium atqve decus.
Te qvis, & *Holt* taceat? viduas solaris egenas,
    Atqve Scholis curas præmia justa dari (*e*).
Hinc laudum nova materies: Islandia semper
    Pignus amicitiæ, qvod veneretur, habet.
Nunc ergo & semper repetit solennia vota,
    Et passis palmis supplicat usqve Deo.
Grata Diœcesis, boreis objecta pruinis,
    Grata, sed innumeris exagitata malis.
Succinit hæc natu majori prompta sorori (*f*)
    Et grates meritas multiplicare cupit.
O dilecta Deo pia *Gens Norvegica*, Semper
    Te præsens ætas posteritasqve canet.
Pro tantis meritis, (qvoniam non possumus ipsi),
    Persolvat clemens præmia mille Deus!

(*e*) Vir Perillustris, etiam Norvegus, *Andr. Holt*, S. R. M. a Consil. Status &c. non tantum viduis aliqvot pauperculis, qvæ numerosam maxime prolem optime educant, numerata pecunia annis aliqvot præterlapsis benignissime subvenit. Sed & Discipulis utriusqve Scholæ præmia diligentiæ transmisit distribuenda, qvæ Magni Viri benificia apud nos unum annum commorantis, pia nunqvam reticebit posteritas.

(*f*) Diœcesi nempe Skalholtinæ, qvæ prior Episcopum nacta est.



Æſtimat ille, memor promiſſorum, ſibi factam
Qvam præſtas minimis fratribus ejus opem.
Hinc *Vos*, qvos noſtræ miſereri ſortis acerbæ
Non puduit, ditet Numinis alma manus!
Illa animosqve manusqve regat, media illa miniſtret,
Mentis devotæ propoſitumqve juvet!
Ordinis O! Illuſtre Sacri, *Stafangria* qvo jam
Se merito jactat, lecta Corona! decus,
Magnanimum doctura bonos virtutis amorem
Hos elegos tenues, conſule, qvæſo, boni!
Atqve extende piis famam conatibus amplam!
Felix & ſoſpes tempus in omne Vale!



PLURIMUM REVERENDORUM

ATQVE

DOCTISSIMORUM

CHRISTIANSANDENSIUM

IN NORVEGIA

ANTISTITUM

SACRORUM

IN EGENOS

ISLANDIÆ ECCLESIÆ MINISTROS

LIBERALITATEM BENIGNISSIMAM

SEQVENTIBUS ALCAICIS

PROSEQVITUR

JOH. JOHANNÆUS.



Qvanta eſt micantûm gratia luminum
Poli, remotis turbine nubibus
Serenitati non amicis,
Stelligeri, ſua laus & omen!

Non ſic vocalis barbitos Orphei
Sylvas canendo duxit, ut hæc ſui
Encomia Auctoris ſtupendi
Concelebrant, recinunt, fatentur.

Aulæa



Aulæa non ſic discolor Indica
Commendat uber luxus, ut æthera hæe
Mulcent & expanſum perornant;
Multimodum ut taceamus uſum.

Infixa Olympo ſidera gratiam
Tantam coruſco ſi faciunt vaga,
Qvæ pallor ingratusqve nigror,
Signa ſui rapient pudoris,

Præco verendi buccina judicis
Prænuntiârit qvando noviſſimam
Rebus ruinam; qvantum in ipſis
Eſſe putem decus atqve honorem

Virtutibus, qvæ Numinis indoli
Fictos inerti pulvere Adamidas,
Olim artubus conveſtiendos
Æthereis, ſimiles refingunt.

Non verſipellis ſic Gygis annulus
Talenta avaro deproperat Midæ;
Non jungit amor milites ſic
Unanimes, acieqve in una;



Non ſic amictus murice nobiles
Ornant ſmaragdi vel decora aurea
Nec heluoni tanta laudum
Obtigit Æmathio tyranno


Parta innocenti ſangvine gloria,
Virtus ut amplis fructibus eminens
Auget bona, unit corda, multum
Condecorat parit atqve honores.

Virtus virorum ſola celebrium
Magiſtra, rerum format idoneos
Moliqve, nodisqve, & qvi monarchis
Difficiles operas miniſtrent.

Radice virtus fixa profundius,
Auguſta Pirho Tullia ut edocet,
Invicta vi nec cedit ulli
Neve loco fugit occupato.

Æterna poſcit præmia civibus
Servata lætis Elicii inclyti,
Rhamnuſiis inviſa plagis,
Cerbereæqve negata turbæ.

Qvid



Qvid multa! qvicqvid confeqvimur probæ
Laudis, bonorum qvicqvid & accidit,
Virtutis illud excolendo
Attribuas ftudio neceffe eft

Commune, Virtus, pluribus unicum
Nomen; forores namqve fcias dari,
Multas. Ut uno mille cœlo
Aftra meant vario nitore,

Sic inter illas diva Agathofyne
Splendore palmam, cœlitus excita,
Titanio præftantiore
Præcipuis dubiam faceffit.

Hæc uniendis vincula mentibus
Fraternitatis nectit; & hac fecus
Abfente, converfatio fit
Vafra, rapax, metuenda, dira

Mortalium; fed nectare rofcido
Delectat Hyblæ melliferæ magis
Præfente Diva & gaudet effe
Fida, favens, placida atqve dulcis.

Si qvando




Si qvando terris nulla Agathofyne,
Fides labafcet, candor inutilis,
Extorre fas, jus efferatum,
Exul amor, pietas abacta.

Niffenus illam laudat *Epifcopus*
Et fede dignam principe cæteris
Virtutibus præfert; Jehovæ
Qvin lateri facit affidentem.

Largas egeno porrigit hæc manus,
Preffo levamen, pharmaca morbido,
Solatium mœrore fracto
Confugiumqve opis indigenti

Omnes merendo concilians fibi
Devincit ultro; nec premere aptius,
Sic *Nazianzeno* docente,
Ingenium poteris Tonantis

Hanc fancta Vatis Cornigeri chelys,
Blandæqve Regis Jeffiadæ fides,
Et Clio Amofi fiftulatrix,
Grandiloqvi hanc pia fvada Pauli,

Et plurium vis enthea gnaviter
Effert virorum ad ſidera laudibus;
Oracla mirandi prophetæ
Ne memorem celebranda Chriſti.


Benigna nobis eminus ubera hæc,
Preſſos maligno reſpiciens Dea
Fato ſub arctois pruinis,
Exhibuit; generoſa ſenſu

Præcordia acri perſtimulans ſui,
Qvo ſublevarent pauperiem pati
Svetos Leberidis ſodales,
Terra qvibus glaciata nutrix.

Hæc nata natu maxima Numinis
Regum potentes nobilitat thronos;
Hæc ſemper *Oldenburgicorum*
Fida comes ſolium occupavit.

Illinc remotos didit in angulos
Plenum favoris vivifici jubar:
Islandiæ norunt coloni
Sceptrigeræ benefacta Stirpis.

Aſt



Aſt talia ardens proſeqvitur piis
Innifa prolis ſpes genitoribus;
Spes jure naturæ excitata
Qvam pariter Patriæ Parenti

Subjecta qvævis mens populi fovet,
Neceſſitatis vincula contuens;
Dum debitis inſtat fidelis
Officiis, humeri ut valebunt.

Fragoſa ſed qvos Doris ab invicem
Interminanti dirimit æqvore,
Commercii qvos nulla jungunt
Exterioris amica jura,

His fœda Lethe ſic populis ſolet,
Narcoticorum prodiga fluminum,
Sopire mentes, mutui omnis
Cura boni atqve mali ut remittat.

Nonne ergo qvæſo mirificum ſatis
Poteſt videri gens Nerigonica
Islandicæ qvod ſit miſerta,
Nec pudeat meminiſſe priſcam




Propinqvitatem, jam fere mortuam, &
Multis avorum conditionibus
Firmata pacta? qvod jacentes
Erigere auxilians laboret?

Stulta facessant signa superbiæ,
Miracla mundus qvæ stupuit vetus!
Plus miror hæc benignitatis
Munera, qvæ meliore plectro

Deprædicari digna. Sed his modis
Ecclesiæ Vos, qveis licet, alloqvor,
O! *Christiansandensis* almæ
Lumina! Vos vigiles Zionis!

Elegit arcem, res mihi concinit,
Divina Vestram mentem Agathosyne,
Incensa sancti Flaminis vi,
Et stimulis animata sacris.

Virtutis æqve suspiciens decus
Vestrum, datorum nomine munerum,
Islandiæ qvicunqve mystes
Nomen amat, colit, osculatur;



Qvorum ferenis vultibus æftuans
Intercapedo nos prohibet frui,
Convictu & omni, qvo dolenter
Cognitio vetus obfolevit.


Habemus autem, lumine qvi fuum
Humanitatis, Vos referat, genus;
Præfecit *Auguftiffimus Rex*
Qvem patriæ ftatuiqve noftro.

Videmur illo poffe modeftiam,
Prudentiam cum juftitia parem
Spectare Veftram: nofter ille
Tutor, amor, decus atqve fulcrum.

Ut Veftra chordas debilitat meas
Canenda nervis dignius Orphicis,
Sic illa non digne tabella
Thodaleam capit arcta laudem.

Sed æqva juris regula pofcit, ac
Humana refert, ut pretium pie
Factis fuperfit, & merentes
Ut decus & fua laus coronet.

Dicetur



Dicetur ergo Veſtra mihi, licet
Parum volucri carminis alite
Virtus, Viri Fratres Patresqve,
Omni honore & amore digni!

Islandiæ dum paſcua fontibus
Tepent vaporis, littora dum Thetis
Adverberat piſcoſa, donec
Sulphureas alit Hecla flammas,

Veſtro favori debita gratia
Calebit imo pectoris in foco
Noſtratium, & cœlo ſupinis
Cum manibus pia vota fundet:

Indeprehenſi luminis incola
Supremus omnis diribitor boni
Veſtrum in ſinum felicitatis
Omnigenæ cumulos refundat!

Negotiorum qvicqvid agendum erit,
Fœcunda qvicqvid fert meditatio,
Mens recti amans, qvæ vult futura,
Arbitrio annuat omne Veſtro!

Sit pontus, æther, ſitqve boni ferax
Fructus aratro perdomitum ſolum,
Qvæcunqve votis expetuntur,
Omnia Vos faciant beatos!

Sic Vos ſaluto, ſic ago gratias,
Sic mente caſta proſeqvor, O! mei!
Rectore procurante cœli,
Perpetuo ſolide Valete!



